

fin. & sic se habent tamquam excellentia & excessa-

Similiter etiam adde, quod hæredi universali ex testamento vel ab intestato datur & competit *petitio hereditatis* pro consequenda hereditate defuncti; Et quia istud remedium est valde utile & quotidianum, volo materiam ejus perfecte & magistraliter declarare: Pro cujus intelligentia dico, quod istud iudicium vocatur universale, quia aptum est comprehendere sub se plures res, & recipere augmentum & diminutionem: & ita est bonorum possessio, peculium, grex, dos, & jurisdictio. Aliud est generale, de cujus natura est redditio rationum, ut actio tutelæ, mandati, pro socio, & negotiorum gestorum. Aliud est particulare, quod non derivatur ad plura, sed determinatur ad aliquid certum, ut rei vindicatio, Publiciana actio, personalis ad rem, vel pecuniam: ita Bald. in leg. 1. ff. de Edendo, 2. column. num. 7. quam doctrinam & theoreticam dicit singularem & meliorem de jure Jas. in leg. 1. ff. de Verbor. obligation. fin. column. Et in primis dico, quod illud remedium *petitionis hereditatis* datur & competit hæredi universali contra tertium possessorem vel detentatorem rerum defuncti: text. est in leg. Licet minimam. ff. de Petit. hered. cujus verba sunt: *Itaque qui vel ex asse, vel ex parte hæres est, intendit quidem hereditatem suam esse totam vel pro parte, sed hoc solum ei officio iudicis restituitur quod adversarius possidet: & hoc sive per se, sive per mediam possessionem succedat, ut mediante filio vel servo, text. est in leg. 1. 2. & 3. eod. titul. & competit tantum hæredi universali, non vero particulari, sicut interdictum quorum bonorum. Præterea competit contra possessorem universalem totius hereditatis, & contra quemlibet particularem possessorem alicujus rei hereditariæ: text. est in leg. Regulariter in fin. cum leg. sequent. ff. de Petition. hered. & ibi communis opinio: text. in leg. 1. §. 1. ff. Si pars her. pet. text. in leg. Cum enim. ff. Si quis omis. causa testam. facit text. in leg. 1. ff. Quorum bonorum in princip.*

154 Sed pro declaratione materiæ se offert nova difficultas: Nam videtur quod nullo modo *petitio hereditatis* possit competere alicui hæredi: quod probō sic: nam hereditas tantum dicitur ante aditam hereditatem, postea vero amplius non dicitur hereditas, sed patrimonium hæredis, ut in leg. Sed si plures. §. Filio impuberi. ff. de Vulgar. & pupil. text. in leg. Ejus qui in provincia, §. fin. ff. Si cert. petat. text. in leg. fin. in fin. Cod. de Inoffic. testam. text. in leg. 1. §. Præterea. ff. de Sepa. text. in leg. Qui Titii testamentum. ff. de His qui ut indign. text. melior de jure

in §. 1. Instit. in heredum qualit. & differenc. notat etiam Gloss. & communiter DD. in leg. 1. §. Veteres. ff. de Acquirend. posses. Sed ante aditam hereditatem, cum hæres numquam adivit, nec habeat jus in bonis defuncti, non potest petere bona hereditaria; quia *petitio hereditatis*, & quodlibet aliud remedium *adipiscenda*, numquam competit nisi hæredi, qui jam adivit, & habeat jus quæsitum in bonis defuncti, ita probat text. expressus in leg. 1. Cod. Quorum bonorum in fin. text. in leg. 2. eodem titul. ibi: *Quasisti successionem, text. in leg. 1. §. Quod ait prator. ff. Quor. legat. facit text. in leg. Cum hæredes. ff. de Acquirend. posses. & in specie, quod in isto remedio requiratur quod hæres jam adiverit hereditatem, tenet Rosfred. in Libellis suis, in rubrica de *petitio. hered. 2. column.* post aditam vero hereditatem non sunt bona hereditaria, sed propria hæredis: Ergo nullo casu potest dici, quod competat sibi *petitio hereditatis*. Imo quod magis est, numquam potest dari casus, in quo petat bona ante aditam hereditatem: nam eo ipso quod intentat petitionem hereditatis, & petit bona defuncti, videtur adire; quia cum hereditatis additio consistat in animo, ut in leg. Pro hærede, & in leg. Gerit. cum simili. ff. de Acquirend. heredit. petendo bona, necessariò videtur adire. Et in expressò istam conclusionem, per istam rationem tenet Bald. in leg. 3. Cod. de Repud. hered. 2. column. in princip. n. 4. Salycet. 2. column. post princip. Plat. in §. Rationem Instit. de action. antepenult. column. num. 7. pro qua sententia ego pondero text. in leg. Si quis mihi bona. §. Sed quid si mandavit in princip. ff. de Acquirend. heredit. Imò quod plus est, idem esset, si hæres faceret aliquid ut actum præparatorium petitionis hereditatis; ut si faceret interrogare eum, an possideat pro hærede, vel possessore? quia intendit agere *petitione hereditatis*, vel faciat similem actum: ita Bald. in leg. Gerit. de Acquirend. heredit. 5. column. in medio, ergo cum jam cesserit hereditas, quomodo potest sibi competere *petitio hereditatis*? Confirmatur, quia hereditas est quoddam jus fictum & imaginarium inductum à jure, repræsentans ipsum defunctum, & continens in se omnia jura ejus ante additionem hæredis: text. est in leg. Hereditas in multis. ff. de Acquir. rerum dom. text. in leg. Nihil aliud. de Verbor. signif. text. in leg. Hereditas. ff. de Regulis juris, text. in leg. 3. §. Hereditas. ff. de Bon. posses. cum simil. Rursus in ipso instanti, quo hæres ex testamento vel ab intestato adivit, cessat illa hereditas, & ipse hæres repræsentat defunctum, & retinet omnia jura ejus; text. est in Authent. de Jurejurand. à mod. prap. post princip. collat. 5. text.*

in leg. Hæres in omne jus. ff. de Acquirend. heredit. cum similib. Ergo post aditam hereditatem impossibile est, quod hæres petat hereditatem; quia jam illa non est, cum sit extincta per additionem, & similiter quia ipse hæres consecutus est illud quod in ea continebatur: & sic non videtur dari casus, in quo competat *petitio hereditatis*? Sed huic difficultati subtiliter & fundamentaliter respondeo: quod verum est, quod *petitio hereditatis* semper competit post aditam hereditatem, & impossibile est aliter competere; cum illam intentando videatur adire: tamen non datur nec competit sibi pro consequenda illa hereditate juris, hoc est, pro consequendo illo jure intellectuali, & repræsentativo; quia jam illud consecutus est per additionem: sed datur & competit principaliter, ut declaretur quod est talis hæres & successor, & in consequentiam fiat sibi restitutio rei, vel rerum existentium penes alium; quæ res dicuntur hereditariæ donec hæres actualiter consequatur possessionem earum: & in specie ita respondet Bartol. & iste est ejus sensus in leg. 3. ff. de Bonorum posses. 2. column. num. 4. & Franc. de Aretin. in leg. 1. §. Veteres. ff. de Acquirend. posses. 1. column. in fin. Paul. de Castr. in leg. Hereditas, etiam in fin. ff. de Petit. hered. Rosfred. in Libell. suis, in Rubric. de Petit. hered. penult. column. versicul. Ultimo quaritur. Alber. in Rubric. ff. de Pet. hered. num. 1. versic. Et notabiliter facit: text. in leg. Regulariter, in final. & leg. Item videndum, §. fin. & in leg. Non tantum. ff. de Petit. hered. text. in leg. 1. Cod. Ubi de hereditate agitur. Ex quo inferitur verus modus concludendi in petitione hereditatis: nam debet petere se pronuntiarum heredem talis defuncti, & in consequentiam ex officio, quod fiat sibi restitutio rei vel rerum quæ ab alio possidentur vel detinentur: istam practicam probat text. notabilis in leg. Licet, minimam. ff. de Pet. hered. & ibi notat Bart. Bald. & communiter DD. Paul. de Castr. in leg. Regulariter, eodem titul. 1. column. num. 3. probat text. in leg. 3. eodem titul. ibi: *Hereditatem nostram esse, intendere possumus, & ibi notabiliter Bart. in fin. numer. 3. facit text. in leg. Et ex diverso, §. 1. ff. de Rei vendic. text. in leg. Pompon. §. 1. ff. de Procurat. & utrobique Bart. & DD. ubi habetur, quod agens rei vendicatione debet principaliter petere se pronuntiarum dominum, & in consequentiam petere rei vel rerum restitutionem.*

155 Adde tamen, quod licet *petitio hereditatis* detur hæredi universali etiam contra quamlibet possessionem cujuslibet rei particularis; tamen debet intelligi isto modo, quod si hæres qui agit est hæres insolidum, petet & avocabit à

possessore totam rem: si verò sit hæres pro parte, putà dimidia, tertia, vel quarta; licet illa portio sit maximi valoris, & res possessa sit parvi valoris, non poterit petere nec consequi nisi solum dimidiam, tertiam, vel quartam partem ejus: text. est formalis & expressus in leg. 1. §. 1. ff. Si pars hered. per. & ibi gloss. ordinaria, Bartol. Alb. Odofred. Bald. Angel. Paul. & communiter DD. text. in leg. Licet minimam, in fin. ff. de Petit. hered. & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. tenet etiam & declarat Odofred. Paul. & communiter DD. in leg. Regulariter, eod. tit. Confirmatur, quia hæres non potest agere actione personali vel reali, nisi pro parte per quam est hæres: text. est in leg. 1. & 2. per totum, Cod. de Action. Rursus confirmatur, quia in iudicio personali, reali, vel mixto, hæres tantum repræsentat personam defuncti pro ea parte pro qua succedit, & non pro alia: Gloss. est singularis in jure, leg. 2. §. fin. ff. de Prator. stip. in gloss. fin. in fin. quam ad hoc notat & commendat ibi Bartol. penult. column. Angel. penult. column. & eam dicit singularem Paul. 2. column. & Joan. de Imol. penultim. column. illam etiam Gloss. ad hoc notat & commendat Bart. in leg. Avus. ff. de Pactis, 1. column. n. 1. & ibi Angel. 1. column. num. 2. Paul. 2. column. idem Bartol. in leg. 2. §. Idem si in facto 2. col. ff. de Verbor. obligat. idem Bartol. in leg. 4. §. Cato fin. col. eodem titul. idem Bartol. in leg. Continuum, §. fin. 1. column. eodem titul. & ibi Paul. 2. col. num. 2. & illam dicit singularem Jas. in leg. Julianus scribit eodem titul. idem Jason in leg. Eum qui ita. §. Te & Titium 1. column. num. 2. eodem titul. idem Jas. in leg. Si ita quis. §. Ea lege 2. column. num. 6. eodem titul. pro qua Gloss. & communis opinione facit bonus text. in leg. Cum à matre, Cod. de Rei vindic. text. in leg. 2. & in l. penult. Cod. de Hæred. action. text. in leg. Si uxor. Cod. de Bonis Autor. judic. possid. text. in leg. Licet, Cod. Ad legem fal. text. in leg. 1. Cod. Si certum petat. text. in leg. Pacto successorum, Cod. de Pactis, text. in leg. Licet, Cod. Famil. eriscun. text. in leg. In executione, versic. Prima species. ff. de Verbor. obligation. text. in leg. Si ab eo, Cod. de Negot. gest. text. in leg. fin. §. In computatione, Cod. de Jure delib. text. in leg. 1. Cod. Unde liberi.

Item adde, quod *petitio hereditatis* competit tantum pro rebus, quas possidebat defunctus tempore mortis, & reliquit in sua hereditate: si verò illo tempore eas non possidebat, non poterit agere *petitione hereditatis*. sed tunc oportet agere remedio rei vendicationis vel Publiciana: ita probat text. expressus in leg. Item videndum, §. fin. cum leg. sequenti. ff. de Pet. hered. Ex quo infero in practicam, quod hæres qui agit



*petitione hereditatis*, tenetur probare illas res fuisse penes defunctum tempore mortis, cum sit causa & fundamentum suae intentionis: & ita reperio quod in simili tenet solus Bart. in leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. penultim. column. prope finem; loquendo in remedio possessorio illius leg. & Philipp. Dec. 12. column. num. 40.

157 Item adde, quod *petitio hereditatis*, non solum competit pro rebus, quas defunctus habebat & possidebat tempore mortis, sed etiam pro rebus, quas tantum detentabat, ut quia erant depositae, commodatae, locatae, vel alia simili causa essent penes eum: text. est in leg. Et non tantum. ff. de Pet. her. & ibi Bart. Bald. Ang. & communiter DD. Odofr. & Paul. in §. Præcedenti tenet Azor. in Summa Cod. eodem titul. 2. column. num. 7. tenet etiam & melius quam alibi declarat, & rationem ponit Rosfr. in Libellis suis, in Rubr. de Pet. hered. antepenult. column. n. 10. Jas. in §. Actionum, Instit. de act. 30. column. num. 232. ad idem pro hac sententia est casus in §. Veniunt, ejusdem leg. Non tantum, cujus verba sunt, *veniunt & haec res in hereditatis petitionem, in quibus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem* text. in leg. Si de eo. §. Si forte in fin. juncta gloss. su. ff. de Acquir. possess. & ibi notat Angel. Franc. de Aret. & communiter DD. Ex quo collige utilem & notabilem regulam & doctrinam in hac materia: quod haeres, qui agit *petitione hereditatis*, non tenetur probare dominium vel quasi dominium, vel aliud jus in re fuisse penes defunctum in rebus quas petit, sed tantum quod eas possidebat vel detentabat tempore suae mortis.

158 Item adde pro perfecta declaratione materiae, quod *petitio hereditatis* non datur contra possidentem hereditatem, vel aliquam rem ejus, mediante titulo habili ad translationem domini: text. est capitalis in leg. Regulariter, cum qua tuor ll. sequentiib. ff. de Pet. hered. text. in leg. Hereditatis, Cod. eod. titul. text. expressior cæteris in leg. penult. Cod. In quibus caus. ces. longi tempor. pras. cujus verba sunt, *hereditatem quidem petentibus longi temporis praescriptio nocere non potest, verum his qui nec pro herede nec pro possessore, sed pro empto, vel donato, seu alio titulo res, quae ex hereditate sunt vel fuerunt, possident; cum ab his successio vendicari non possit, nihil hac juris definitio noceat*. Sed necessarium est scire & investigare rationem hujus conclusionis: & omissa ratione quam ponit Glos. in dict. leg. penult. Cod. In quibus caus. ces. lon. tempor. pras. & omissis aliis rationibus positus per alios,

dico, quod vera & fundamentalis ratio est: quia ille, qui possidet cum titulo, habet & allegat potentius & fortius jus quam haeres qui agit *petitione hereditatis*: nam possessor conventus nititur & fundatur ex duplici causa, scilicet ex titulo habili & legitimo, & insuper ex possessione vel detentatione quam habet; haeres vero solum se fundat in suo nudo & simplici titulo hereditario, & possessione vel detentatione, quam habuit defunctus: ergo merito possessor conventus praeferritur debet, & contra eum non habet vires *petitione hereditatis*, argumento text. & ejus regulae & rationis in leg. Sive autem. §. Si duobus, versic. *Quod si adversis*. ff. de Publiciana, & in leg. Si ea res, §. fin. ff. de Action. empt. & in leg. Si debitor, versic. *Inter eos*. ff. de Pign. & in leg. 1. versiculus. *Si colonus*. ff. de Salviano interd. quae jura sunt satis notabilia in proposito, facit etiam text. in regul. in pari causa. ff. de Regulis juris, & in regul. impari, eod. titul. lib. 6. text. in leg. Si servum. §. Sequitur in fin. ff. de Verbor. obligat. text. in leg. 2. Cod. de Cond. ob. tur. caus. cum similib. istam rationem ponit originaliter Jacob. Butr. in leg. penultim. Cod. In quibus caus. ces. lon. tem. pras. & ibi Alber. & ibi notabiliter Bald. num. 1. Paul. de Castr. 1. column. post princ. eandem ponit Jacob. Butr. in leg. 2. in fin. Cod. de Pet. hered. & ibi Paul. n. 3. idem Jacob. Butr. in leg. Hered. in fin. eodem titul. & ibi Bartol. qui dicit, quod ista est verissima ratio: & ibi Bald. 2. column. num. 4. Angel. de Perus. qui allegat ita tenere Guillel. Salycet. ibi, in fin. num. 8. istam etiam rationem tenet Cin. in leg. Cogi, eod. titul. 6. col. versiculus. *Tertia ratio*, & ibi Faber. in Breviario, post princ. Bartol. in leg. Pro herede, in fin. ff. de Petition. heredit. & ibi Bald. versic. *Quare quae est ratio*, idem Bald. in leg. Nec ullam, 1. column. in med. eodem titul. Odofr. in leg. Regulariter, 3. column. num. 3. eodem titul. Paul. de Castr. ibi, fin. column. in princ. Angel. de Perus. in leg. Qui interrogatus, eodem titul. 2. column. ubi dicit ita tenere Jacob. de Aretin. & Guillel. Joan. de Plat. in §. Actionum Institut. de action. penult. column. num. 81. & ibi Jas. 27. col. n. 218. (y)

Ex qua ratione infero singulariter & subtiliter, quod si haeres accumulet *rei vendicationem* cum *petitione hereditatis*, & dicat se dominum; & sic non solum se fundat in titulo nudo & simplici hereditario, & possessione defuncti, sed etiam in dominio, quod dicit se habere in re vel rebus petitis ex persona defuncti; petat & se declarari dominum; quod tunc posset agere contra

titulo possidentem, & probato dominio, obtineret; cum tunc habeat potentius jus quam possessor conventus, ex vi & natura *rei vendicationis* cumulatae, non vero ex vi & natura *petitionis hereditatis*: & constat *rei vendicationem* dari contra quemlibet etiam titulo possidentem, ut in toto titul. Cod. Et. ff. de Rei vendic. Ista est singularis & nova declaratio & investigatio Paul. de Castr. in leg. 2. 1. column. in fin. Cod. de Pet. hered. ubi dicit, esse suum novum dictum in materia, & non esse dictum ab alio: idem tenet Jas. non allegando auctorem, in dict. §. Actionum, Instit. de actio. 27. column. n. 218. Sed ego reperio, quod in expresso contrarium tenet Cin. in dict. leg. 2. Cod. de Pet. hered. fin. column. & quaest. ubi dicit quod *petitio hereditatis* & *rei vendicatio*, non possunt simul cumulari, argumento text. in leg. Quod in heredem. §. Eligere. ff. de Tribul. & in leg. Nemo ex his. §. Quoties. ff. de Regul. juris, & in leg. Cum filius. §. Varius. ff. de Legatis 2. quibus probatur, quod una & eadem res non potest peti pluribus actionibus; quia licet non obstat exceptio contrarietatis, tamen obstat exceptio cumulationis & dupliciter: idem tenet Cin. in leg. Cogi. 6. column. prope finem, eodem titul. Bald. in leg. Hereditatis eodem titul. 2. column. in fin. ubi dicit, quod licet agens *petitione hereditatis* probaret de dominio defuncti, non obtineret; quia probatio esset extra naturam iudicii *petitionis hereditatis*: idem tenet Bald. notabiliter in leg. Pro herede in fin. ff. de Pet. hered. idem Bald. in leg. Nec ullam in fin. eodem titul. Angel. in leg. Qui interrogatus 2. column. eodem tit. Paul. de Castr. sibi contrarius in leg. Regulariter fin. column. in med. versic. *Sed ponamus*. ff. eodem titul.

Sed pro concordia ego in tam subtili articulo dico sic: quod si agens *petitione hereditatis* probat in processu dominium defuncti, non obtinebit contra titulo possidentem, nec virtute hujus probationis poterit condemnari, ex eo quod illud non fuit petitum, nec deductum in iudicio, nec veniebat ex natura actionis propositae, & sic reus non potuit se defendere: & hoc ego probo ex regula notabili & generica, quae habet, quod quando actum est ex una causa, & probatum ex alia, non obtinebit actor in illa in qua probatum est: text. est singularis in leg. Habebat. ff. de Inst. eod. & ibi notat Bart. Bald. Paul. & communiter DD. text. in leg. Bebius in fin. ff. de Pactis dot. lib. & ibi Bald. & communiter DD. text. in leg. 1. ff. Si mentor falsum modum dixerit. text. in leg. Bovem. §. Sub conditione. ff. de Adil. edict. text. in leg. Lucius. §. Sempronius. ff. de Legat. 3. text. in leg. Aurelius, §. final. ff. de Liber. legat. & istam sententiam & conclusionem

tenet Bart. in leg. 1. ff. de Edend. penult. column. num. 12. & ibi communiter Modern. Innocent. in cap. Ex parte et 1. de Privileg. Abb. in cap. fin. de Libel. oblat. fin. column. & quaest. Specul. in titul. de Sentent. §. Qualiter fin. col. versiculus. *Quid si lis*. Bald. in leg. 2. Cod. de Probat. 1. col. in fin. idem Bald. in Authent. sed & si quis, Cod. de Secund. nupt. penultim. column. idem Bald. in leg. Per hanc Cod. de Tempor. appellat. 3. column. idem Bald. in leg. 2. in fin. Cod. de Pignor. action. Paul. de Castr. in leg. Si is ad quem. ff. de Acquirend. hered. 2. column. num. 5. Bart. in leg. Amilius. ff. de Minor. 2. column. in fin. & isto casu procedat opinio Cin. & sequacium, quos supra allegavi: Si vero agens *petitione hereditatis* intentat & accumulat *petitionem hereditatis* & *rei vendicationem*, & dicit defunctum fuisse dominum & similiter heredem; tunc dico, quod libellus & iudicium procedit; & non probato dominio, obtinebit in *petitione hereditatis*, si possessor conventus non habet titulum; si vero probat dominium, obtinebit virtute *rei vendicationis*, etiamsi conventus habeat titulum: & ita procedat nova opinio Paul. de Castr. supra allegata: Quod probato & confirmato per sequentia: Primo, quia regula contraria, in qua se fundabat Cin. & Sequaces; quae habet, quod una & eadem res non potest pluribus actionibus peti; debet intelligi, quando competere ex eadem causa, ut quando ex uno & eodem contractu, vel ultima voluntate nascuntur plures actiones: secus tamen est, quando praedictae actiones competunt & procedunt ex diversis causis, licet pro una & eadem re; quia bene possunt cumulari: ita Bartol. post Glossa ibi in leg. Edita actio, Cod. de Edendo, §. 5. column. num. 20. & post eum cæteri DD. idem Bart. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquirenda possessione §. col. n. 11. & ibi communiter Modern. Sed in nostro casu *petitio hereditatis* & *rei vendicatio* sunt actiones diversae, & procedunt ex diversis causis: Ergo possunt cumulari. Quod procedit etiamsi reus conventus opponat exceptionem *cumulationis*, vel *dupliciter*; quia alias, si non opponeret, absque dubio procederet libellus, ut eleganter concludit Bart. in dict. leg. Edita actio 6. column. numer. 23. & ibi DD. idem Bart. in dict. §. Nihil commune. 10. column. num. 30. & ibi latè Moderni. Secundo, quia quando actor probabiliter dubitat ex facto adversarii de actione vel remedio sibi competenti, tunc bene potest plures actiones cumulare conjunctim, vel alternativè: textus est valde notabilis in leg. 1. §. Quia autem. ff. Quorum legatorum, quem ad hoc summe notat & commendat Bartol. Alber. Angel. & communiter DD. ibi: & per illum text. ita tenet

(y) Et vide Covarrub. in Practicis cap. 12.



net Gloss. ordinaria in leg. Nemo. §. Quoties. ff. de Regulis juris, & ibi DD. tenet etiam Bart. & communiter DD. in leg. Quod in heredem. §. Eligere. ff. de Tribul. idem Bartol. in leg. Stipulationes non dividuntur fin. column. & quest. ff. de Verbor. obligation. & ibi Modern. idem Bartol. in leg. Ubi autem non apparet. §. Qui illud, aut illud eodem titul. Innocent. in cap. Constitutus, de rest. in integ. num. 2. & ibi communiter DD. Idem Innocent. & alii DD. in cap. fin. de Collus. detegen. facit etiam doctrina, & communis practica, quæ habet, quodd rei vindicatio & Publiciana possunt cumulari in uno & eodem libello, ut dixi & examinavi suo loco.

Attende tamen, quod superior conclusio debet intelligi quando actor interrogavit possessorem conventum, an habeat titulum, vel non, & fuit contumax, quia noluit respondere, & actorem certificare? & isto casu procedant & intelligantur jura & rationes supra proximè adductæ: secus tamen aliàs, quando actor nihil interrogasset; quia tunc incertitudo magis provenit ex suo facto & culpa, quàm adversarii; cum possit actor in hoc iudicio petitionis hereditatis cum interrogare, an possideat cum titulo, vel sine titulo? ne iudicium reddatur illusorium: ut in leg. Cogi, in fin. Cod. de Petit. hered. ibi: Prater eum qui dicere cogitur, utrum pro possessore, an pro heredem possideat, text. in leg. Qui interrogatus. ff. eodem titul. & utrobique communis opinio. Et in expresso reperio quod istam declarationem ponit in terminis solus Bald. in leg. 1. Cod. de Furtis, 2. column. 3. oppos. & apertè hoc vult Gloss. ordinaria quæ non allegatur in leg. 1. §. Quia autem. ff. Quorum legatorum in gloss. fin. & hoc idem voluit Cin. in leg. 2. Cod. de Petit. hered. fin. column. & quest. ubi dicit, quod petitio hereditatis & rei vindicatio non possunt in uno eodemque libello cumulari pro una & eadem re, argumento text. in dict. leg. Quod in heredem. §. Eligere de trib. cum simili, & idem tenet Bald. in dict. leg. 2. fin. column. num. 6. Salyc. ibi, fin. column. in fin. Angel. ibi, 2. column. & est communis opinio: Quod benè nota tamquam necessarium in practica. Item adde ad suprà dicta, quod in tantum est verum quod titulus excludit petitionem hereditatis, ut procedat nedum si allegetur per reum conventum ante litem contestatam, sed etiam postea in qualibet parte litis, sicut exceptio peremptoria, & totaliter exclusiva juris actoris, argumento text. in leg. Peremptorias. Cod. Sen. res. non pos. ita Angel. de Perus. post Bart. in leg. Cogi. fin. column. n. 6. Cod. de Pet. hered. Bald. ibi, 2. column. num. 6. Salyc. 3. column. num. 9.

Præterea adde, quod titulus non excusat quando esset quæsitus post litem contestatam; quia est titulus coloratus & in fraudem quæsitus, argumento text. in leg. Summa, cum ratione. ff. de Peculio, & in leg. Sulpitius, versic. Respons. si color vel. titulus, &c. ff. de Donat. inter vir. & uxor. Quod tamen intellige quando titulus esset quæsitus à non domino: secus tamen si quæsitus sit à vero domino; quia sicut verus dominus agentem potuisset repellere, ita ejus emptor: Præterea, sicut ipse reus conventus esset liberatus si res à domino evinceretur, ut in leg. penult. ff. de Petit. hered. & in leg. Is à quo de rei vend. ita emptor poterit se defendere ex titulo habito à domino: ita Bart. in dict. leg. Cogi, 2. col. n. 5. Bald. 2. col. n. 7. Angel. & Paul. fin. column. Angel. notabiliter in leg. Qui interrogatus num. 3. ff. de Pet. her.

Advertendum tamen pro necessaria declaratione hujus materiæ, & superioris conclusionis, quod ita demum petitio hereditatis non datur contra titulo possidentem, quando ille titulus esset habilis ad translationem domini: secus verò aliàs, si esset titulus commodati, depositi, locati, vel similis; quia talis titulus non excludit hanc actionem: ita apertè colligitur ex superiore ratione communi, & in specie ita tenet Petr. de Bellaper. in leg. 1. Cod. de Petitione hered. 2. column. in fin. Cin. in leg. Cogi, eodem titul. 6. column. in fin. versic. Sed numquid. Bald. ibi, 2. column. num. 10. Salyc. ibi, fin. column. num. 15. Paul. de Castr. in leg. Regulariter. ff. de Petit. hered. fin. column. in med. Bald. in leg. Nec ullam 1. col. post princip. eod. tit. & ibi Paul. & DD. Adde tamen, quod hoc casu, si conventus possessor vel detentator nominaret dominum in iudicio, erit expediendus processus secundum formam leg. 2. Cod. Ubi in rem act. ita notabiliter Bartol. in leg. Etiam. §. Si quis absentis in fin. ff. de Petit. hered.

Patet igitur ex superioribus, quod petitio hereditatis solum competit contra eum qui possidet vel detinet hereditatem vel aliquam rem hereditariam sine aliquo titulo, vel causa habili ad translationem domini: unde dicunt jura, quod regulariter competit contra illum qui possidet pro heredem vel possessore: text. est in leg. Regulariter. ff. de Petit. hered. cujus verba sunt, regulariter, definiendum est cum domum teneri pet. hered. qui vel jus pro heredem vel pro possessore possidet. text. in leg. Hereditatis, Cod. de Pet. hered. leg. 1. in fin. Cod. de Inoffic. testam. Pro possessore dicitur ille possidere qui simpliciter possidet sine aliquo titulo vel causa, & sic non justificat suam possessionem ex aliquo titulo; text. est in leg. Pro heredem, §. fin. Cum duobus II.

sequentibus. ff. de Petit. hered. Pro heredem autem dicitur possidere ille qui vere non est hæres sed dicit & asserit se heredem: unde conveniri potest petitione hereditatis: text. est in leg. Pro heredem in princip. ff. de Petit. hered. Nec obstat si dicatur, quod titulus pro heredem est verus, legitimus, & habilis titulus ad præscriptionem, usucapionem, & omnia alia quæ causantur ab alio quovis titulo, ut in toto titul. ff. & Codic. Pro heredem. sed petitio hereditatis non datur contra titulo possidentem; ergo non datur contra possidentem pro heredem: Quia respondeo, quod illa jura loquuntur de vero & legitimo titulo: puta quando quis possidebat aliquam rem alienam, quam relinquit in sua hereditate, & non potuit eam præscribere, quia deficiebat sibi titulus, demum moritur possessor: nam hæres ejus ex testamento, vel ab intestato, incipiet eam præscribere vel usucapere titulo pro heredem: & iste est propriè titulus pro heredem, de quo loquuntur illa jura: sicut enim ille titulus pro heredem est justa causa acquirendi dominium hereditate adita, quando defunctus erat dominus, ut in leg. Cum heredes. ff. de Acquirend. posses. ita debet esse sufficiens ad usucapiendi conditionem, quando defunctus non erat dominus, adita hereditate & apprehensa possessione, argumento text. in leg. Clavibus. ff. de Contrahend. empt. ita notabiliter Paul. de Castr. in leg. 1. ff. Pro heredem. hic verò in materia petitionis hereditatis loquimur de illo simplici possessore, qui tantum verbo dicit se heredem, cum non sit; qui potest conveniri hac actione, cum non habeat aliquem verum titulum: & ita declarat Gloss. ordinaria in Rub. ff. Pro heredem, & ibi Bartol. Alb. Angel. Imol. Paul. Cuman. & communiter DD. Gloss. in Rub. Cod. Pro heredem & ibi Alber. Paul. Salyc. & alii DD. Gloss. in leg. Pro heredem. ff. de Pet. her. in glos. 1. & ibi Bart. Angel. & ceteri DD. Paul. de Castr. in leg. Regulariter eod. titul. 1. column. 3. oppos. idem Paul. in leg. penultim. Cod. In quib. caus. ces. longi temp. præ. num. 3. glos. in §. Sequens versic. Pro heredem in gloss. 1. de Interdict. Angel. de Aretin. in §. Actionum, Infit. de action. antepenult. col. n. 67. Jas. ibi, num. 217.

162 Ex quo ego infero unum novum & singulare: quod si ille qui simpliciter possidebat sine aliquo titulo & causa, & poterat conveniri petitione hereditatis, decedat relicto heredem ex testamento vel ab intestato, qui nunc habet & possidet; non poterit aliquo modo conveniri petitione hereditatis, ex eo quod jam possidet eam vero & legitimo titulo, scilicet, pro heredem: & apertè fundatur ex superioribus. Nec obstat si dicatur, quod teneatur hæres ex persona defunc-

ti, cum actiones passivæ transeant ad eum: Quia respondeo, quod illud est in actionibus & obligationibus personalibus: secus verò in realibus; quia nunquam transeunt ad heredem ex persona defuncti; sed ex sua propria persona ut extraneus possessor convenitur: text. est valdè notabilis in leg. de Eo, §. fin. ff. ad exhibend. & ibi notant DD. & per illum text. ita tenet Gloss. ordinaria in Rub. ff. de Rei vind. in fin. & ibi communiter DD.

Attende tamen singulariter, quod contra istam meam novam opinionem videtur esse text. expressus & formalis in leg. Neratius cum seq. ff. de Petit. hered. ubi dicit, quod si defunctus aliquis possidet hereditatem alteri delatam, & relinquit in suo patrimonio tempore mortis, & reperitur ejus hæres eam tenere & possidere etiam cum bona fide, & tamquam bona defuncti; poterit hæres cui erat delata, contra eum agere petitione hereditatis: & ad hoc indifferentè notant ibi DD. Et ratio, quæ ad illam legem assignatur, est; quia sicut defunctus possessor poterat conveniri petitione hereditatis, ita ejus hæres, cum reputetur eadem persona: quam rationem ponit ibi Gloss. Bartol. Odofred. Albert. Angel. Paul. de Castr. & communiter DD. Sed subtiliter respondeo, quod ille text. debet intelligi quando defunctus possidebat universaliter totam hereditatem, & successivè ejus hæres similiter reperitur eam possidere; quo casu tenetur petitione hereditatis, sicut defunctus ejus poterat: secus verò quando defunctus habebat & possidebat non ipsam hereditatem universaliter, sed aliquam rem vel aliquas res ejus particulares, quas dimisit heredi in sua hereditate; quia tunc alter hæres cui erat hereditas delata, non poterit agere petitione hereditatis contra eum: & ita procedat mea superior nova conclusio. Et confirmatur, quia quando possessor conventus petitione hereditatis possidet totam hereditatem titulo universali vel generali, quia sibi est vendita tota hereditas, & non reperitur venditor, vel modico pretio distracta est; & à fortiori, si donata sit, vel titulo lucrativo habita; benè tenetur hac actione, & condemnari potest, non obstante prædicto titulo: text. est in leg. Etiam, §. 1. ff. de Petit. hered. secus verò est quando particulari titulo oneroso vel lucrativo haberet & possideret rem particularem, ut in leg. Regulariter. ff. de Petit. hered. cum simil. & supra deductum est. Et ratio vera est; ne eo casu quo quis possidet titulo universali vel generali, actor qui vult petere res cogatur intentare rei vindicationem in omnibus & singulis rebus possessis, & in qualibet earum probare dominium, quod esset difficillimum & onerosum.